Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8319
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

qua nescit. Unde veniat spiritus ille aut quo vadat sic
dum in animam oritur spiritus qui ponit animam in motu divine karitatis
ille spiritus est qui vivificat animam et in anima natus sicut ve-
ntus aerem et in aere genitus et non est aliud ventus quam aer
vivus seu motus et ut aer denuo natus sic et spiritus non est
aliud quam anima viva et per vivificationem denuo nata et cum
sic sit tunc scit quod ex virtute vivificante hoc procedit sed
attingi illa nequit que sic est proprium et finis spiritus. Unde
modus est supra modum omnium sed attingit in similitudine sicut
gradum de calore aereo est ita tamen spiritus reparat natus scit
ex spiritu non modo carnis sed modo qui est supra omnem modum. Unde
cum Nicodemus non hesitaret dictum Christum esse eum quem
fatebatur magistrum et ex deo venisse circa renascenciam dubi-
tavit tamen de modo cum hesitacionis addiciens quomodo potest ho-
mo nasci cum sit senex nunquid potest in ventrem matris sue denuo
introire et nasci. Jhesus respondit ei quo ipse Nicodemus
locutus est de nascencia qua intratur in hunc mundum sed
ipse Christus intendebat de eo quod intrare debet regnum dei quod
non est de hoc mundo quod caro et sanguinis non possident.
Unde qui sunt nati ut intrent in hunc mundum illi prius fue-
runt in utero in quo concepti et vivificati et demum nati dum
autem sunt sic nati semel tunc sunt in hoc mundo in quo oportet
denuo concipi et vivificari non secundum carnem ut in utero ma-
tris sed secundum spiritum ut nativitas sic introitus in regnum dei. Et hec
concepcio est per fidem formatam karitate. Fide enim concipitur spiritus
cuius sacramentum est aqua baptismatis que ostendit fideles
esse renatos quasi modo genitos infantes sed spiritus sanctus vivificat